

wk

lute dnoqueum aliose dya. et cito.
 por. diu in diecione, tibi debole
 nro. et rōdri bētēr. fons. ec. et
 pūnūm dñi, hñt. coniunctio.
 Cōd. vñz. gñz. dñi. dñi. dñi.
 m. so. dñ. dñ. dñ. dñ.
 zeyndoc.

**PRORECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,**

**IO. GEORGIUS
NEUMANNUS,**
 SS. THEOL. D. ET P. P. CON-
 SIST. ECCLES. ASSESSOR, ET
 ACADEM. BIBLIOTHECARIUS,

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.

AN

co. 100.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
 urn:nbn:de:gbv:3:1-685234-p0003-9

DFG



Persae quondam viros graves et probos, qui ius dicerent, sibi delegunt, et regni pariter saluti, ac tribunalium dignitati consuluerunt. Quod vitae genus cum persanctum esset, tum in eo sic versati sunt, ut Regibus perinde in agendo constantiam, atque in iudicando integritatem comprobarent. Illud autem delectis, atque in curiam introductis fortunae beneficio contigit, quod extrema etiam aetate sustinerent labores, et ad octogesimum usque annum integri valentesque suo quisque munere fungentur. Omnes has laudes, quas Persis historiae pater tribuit, virtute partas habuit sacerdos juris, HENRICVS ERNESTVS SEEBACHIVS, et in iudiciis ac tribunalibus cumulate ea praestitit, quae non quidem Persae, sed Saxones, studiis moribusque cultiores, ab eo expectarunt. Nam vix multos eius similes inter Doctores Saxonicos inveniamus, sive robur corporis, sive animi vim, sive moris et vitae sanctitatem cogitemus. Rationi obtemperavit, quod prudentis est; nihil per fraudem admisit, quod iusti et temperantis, nihil insolenter fecit, quod moderationem commendat, nihil dictu foedum ex ore eius exiit, quod pium firmumque virum decet. Forma gravitatem, statura auctoritatem senatoriam practulit, in

con-

confilio forensi promptus, in iudicio recti et praviciatus, in religione colenda in primis constans, virum se esse meminit, qui nihil agat, quod non a matura deliberatione proficiscatur: per iudicium imbecillitatem errare feminas, vitio aetatis peccare adolescentes: vulgus rapi impetu, sapientes rationibus moveri. Vnum accerrimae indolis Viro defuit, quod viribus non responderet vita longior, et longe ab octogesimo vitae anno abesset, ad quem Persae veteres, auctore Herodoto, pervenerunt. Natus est vir optimus iuxta ac nobilissimus Longosalissae, quae vrbs Thuringiae est, ubertate soli florentissima, et fementibus frugum ac messibus locupletissima, quae neque ab ingenis inops, et foecunda insignium familiarum parens fuit. Hic Anno CICCLXIII.

III. Id. Nov. in lucem suscepitus est, hic spatium crescendi habuit, hic fundamenta laudis iecit. Enim vero pater, GABRIEL, amplissimus vir, et in curia, Ducisque Saxoniae, et Administratoris Magdeburgici, qui titulo eum Consiliarii ornavit, negotiis bene diligenterque versatus, cum uxore nobilissima, ANNA CHRISTINA, Zachariae Doringii, amplissimi illius viris praefecti filia, omnem eo operam contulit, ut ab idoneis, quos mercede conduxerat, praceptoribus excitaretur ad virtutem. Inde ad Halense Gymnasium missus, profecit admodum, et praceptoribus in amore ac deliciis fuit. Tum ad illustre Lyceum Vratislavense discessit, et literarum amore incensus, pertinace industria omnes, quae obstabant, studiorum difficultates vicit, cum mentis aciem intenderet magis, et diligentiae testes haberet Eliam Thomae, Martinum Hankium, et Christianum Gryphium, viros multo doctissimos, qui videbant, quallem se praebaret, et ingenue fatebantur, nihil esse in eo morae, quin progrederetur indies, et labore eniteretur, praefertim iuvenis non enervatus et exanguis, sed corpore firmus, et animi plenus. Confecto hic triennio, Francofordiam propter Viadrum descendit, totumque se iurisprudentiae tradidit, auctoribus eam

ad rem

ad rem idoneis , inter quos emisit D. Samuel Strykius, qui et praecip-
tis et exemplis ipsum monebat , et monendo confirmabat, instabat,
urgebat. Postea Torgaviam venit, et forum attigit, maxime cum
avunculus illius D. Zacharias Döringius, Consul idem ac Syndicus
Torgaviensis, consilio pariter ac suffragio iuvaret. Iam instru-
ctus ad forense certamen, haud in umbra et pulpito conquiescebat, sed
in vitae luce et iudiciis versari gestiebat. Idcirco in principe Saxonum
urbe, quae summis patriae tribunalibus floret, periclitari voluit, et
causas dicere, et Clientibus praestet esse. Dresden reversus, adiutore
studiorum D. Godofredo Strausso, Iuris Antistite, doctrinam exercita-
tione forensi auxit. Neque tamen studia literarum contempserit, et de
officiis hominum ac moribus pulchre differuit, et docendi facultatem
rite impetravit. Quod priusquam fieret, in disputatione et censura ita
se probavit patribus, ut omnium gaudio socius novi honoris ab ordine
sapientum exciperetur, nec multo post summa iuris laurea, a Senatu
Iuridico dignus existimaretur, quippe quam cum laude suscepit, et miri-
fice ornavit. Tot tantisque laboribus perfuncto restabat, quae vitae
molestias leniret, coniunx, quam destinabat opportune et obtinebat.
Nam virginem sibi despondit nobilissimam, ANNAM DORO-
THEAM, Consultissimi D.ZACHARIAE DÖRINGII filiam, in cu-
iis foedere et societate castissima nihil, nisi sanctum et honestum vi-
dit, ut de ea, tanquam de Calpurnia, dicere merito posset. Illam De-
us mihi, et me illi dedit. Ex qua octo liberos sustulit, quatuor
filios, ZACHARIAM SAMUELEM, CHRISTIANUM
GOTTLIEBUM, IOANNEM SIGISMUNDUM, IOAN-
NEM BENIAMINUM, et totidem filias, CHRISTIANAM RE-
GINAM, HENRICAM DOROTHEAM, CHRISTIANAM
ELISABETHAM, denique FRIDERICAM CONCORDIAM,
inter quos superant tres filii, et tres filiae, praesidio orbati, pra-
sertim his temporibus patriae miseris et calamitosis, quibus ad res
familiae constituendas, patre et defensore fortunarum egerint. Tanto
maiior est plaga, quanto accidit durior viduae, mariti opea poscenti, quantoque a-
cerbior torpuplicis, cladem sue domus per aetatem ne intelligentibus quidem...
Trifis profecto casus, quem nemo satis deflere possit, quo pater familie, nobis
collega erupersit, et quidem in flore aetatis, atque in conatu rerum, quas mol-
ebatur optimarum. Sed quoniam longa aetas non dari nisi a Deo potest in e-
ius voluntate acquiescamus, et Manes viri pia, ut per eft, memoria prosequamur,
quem vivum Rex honore Professoris Iuridici Extraord. ornavit, Ordo Iuridicus
deinde in Collegium cooptavit, cuncta civitas amavit, tota denique regio nostra di-
gnum laude duxit, gratoque sermone celebravit. Nunc sublatum ex oculis, et re-
pentino febris malignae morbo, quem purpura vehementer auxit, oppressum, de-
siderant omnes, et has ad ultimum voces mittunt: tua pietas ab animaexitio, tua
te virtus a teculi labore, tua te doctrina, editis ingenii monumentis, ab interitu laudis
et gloriae vindicavit. Veftra Civium intereft, ut praceptor optimo, cum ipfius,
cum nobilissimi generis viduae, necessitudinumque honestissimarum causa ab H. I.
in funus prodeatis, PP.d.XXI.Dec. A.R.S. clo l CCVI,

19. Jan. 1996


7814395



TA>OC

k018
V017





PRORE
 ACADEMIAE VIT
IO. GEO
NEUMA
 SS. THEOL. D.
 SIST. ECCLES.
 ACADEM. BIBLI
CIVIBVS AC
 S. P.



COLL.